

earum pertinentiis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo¹ fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus² insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia nisi arcioris religionis obtentu de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem³ interdictum generale terre⁴ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia⁵ illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur⁶, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit⁷ prefatum monasterium temere perturbare, aut⁸ eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur⁹ in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis¹⁰ honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei¹¹ et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae¹² ulcioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini

1) 'a stylo' Hs. 2) 'Prohibentes' Hs. 3) 'atum' Hs. 4) 'vestre' Hs. 5) Fehlt Hs. 6) 'proponatur' Hs. 7) 'homini sit' Hs. 8) 'at' Hs. 9) 'Siquidem ergo' Hs. 10) 'praefatis' Hs. 11) 'domini' Hs. 12) 'divinae' Hs.